

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Johannis Mulmanni, SS. Theol. dum viveret, Licent.
ejusdemq[ue] Prof. Publ. ord. ad D. Nicolai Archi-Diac. &
Alumnorum Electoralium Ephori, in Academia & Ecclesia
Lipsiensi, Commentarius In Librum ...**

Mülmann, Johann

Dresdæ, MDCCI

VD18 10367071

Caput Qvintum.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18377

CAPUT QVIN- TUM.

SUMMA vel ARGUMEN- TUM.

Hoc caput recenset, quomodo primarii DEI cultus in V. T. Circumcisio nim. & sacrae Paschæ mactatio in Gilgal peractæ sint. Hisce enim Israëlita ad bella feliciter gerenda ita se parant, ut ipse filius DEI in assumpta Viri militaris forma Josuæ non procul à Jericho apparere & principem se super Domini exercitum venditare non dedignentur.

Divisio capitis.

Partes capitis tres sunt.

1. habet $\lambda^{\alpha} \eta\epsilon\alpha\chi\theta\acute{\epsilon}\lambda\alpha$ Josuæ, quomodo circumcisionem repetivit.
2. habet $\lambda^{\alpha} \eta\epsilon\alpha\chi\theta\acute{\epsilon}\lambda\alpha$ populi Passah Domini solenniter celebrantis.
3. habet $\lambda^{\alpha} \eta\epsilon\alpha\chi\theta\acute{\epsilon}\lambda\alpha$ filij DEI in forma principis militaris apparentis.

DE PRIMA PARTE.

Postquam autem audiverunt)

Circumstantiæ præcipuæ in hoc Circumcisionis repetitæ negotio notantur hæ: 1. Occasio sumitur ab Amorrhæorum terrore v. 1. cujus Israëlita cum certò

con-

conscii essent, potuerunt eò tutius & securius circum-
cisioni operam dare. Nam in ejusmodi statu ob do-
lores sectione contractos prorsus fuissent inepti ad
congressum cum hoste faciendum. Quare percussit
DEUS Amorrhæos terrore, ne circumcisio ad com-
modiora tempora differenda esset.

2. *Causa weg-anlun* est Deus v. 2.

3. *Causa instrumentalis* animata (*εμψυχ*) est Jo-
sua: inanimata (*ἀψυχ*) est culter lapideus.

4. *Locus* est collis præputii (Araloth) v. 3.

5. *Causa impulsiva* sumitur à *necessitate*: quia uni-
versi Israëlitarum versabantur adhuc in præputio. Quare
hoc I. quia omnes circumcisi fati concesserant in de-
serto v. 2. II. quia ibidem per 40. annos propter pere-
grinantium incommoda intermissa fuerat circumci-
sio v. 6.

6. *Effectus* est triplex: 1. respectu partis vulneratæ est
commoratio in castris usque ad sanitatis restitutionem.
2. respectu famæ est opprobrii Ægyptici ablatio. 3.
respectu loci est *ὀνομασία* v. 9.

Explicatio Grammatica.

v. 1. *Audiverunt*) Fama miraculi dimanans
vit ad reges, referentibus iis, qui vel vidissent, tumo-
rem aquarum ab urbe Aram usque ad locum Zar-
tham in montium altitudinem fatigiari, aut ex
Israëliitarum adventu cum maris rubri transitu col-
lato conjectassent, eos non potuisse nisi per viam mi-
raculosam plenos Jordanis alveos superare,

X 2

Trans



Trans Jordanem) Terra Amorrhæorum fuit divisa per Jordanem in duas partes, *occidentalem & orientalem*. Reges orientales everfi sunt Mofe adhuc vivente Num. XXI, 24 & Jos. II, 10. Sed hic fermo est de regibus Amorrhæis situm occidentalem occupantibus. Ubi sciendum, quod ex 7. populis Cananæis cuilibet multi reges præessent, siquidem Josua infra c. XII, 24. reges 31. interfecisse legitur.

Qui propinqua maris possidebant)

Intelligitur mare mediterraneum, quo terra promissa ad occidentem limitabatur. Deut. XI, 24. Num. XXXIV, 5.

v. 2. *Cultros lapideos*) Exod. IV, 25. dicitur Zipora seu Siphora petram absolute in circumcissione filioli Mosis adhibuisse. Hinc oritur *questio de cultris lapideis*. An $\gamma\omicron\ \rho\eta\delta\omicron\nu$ sit servandum, an verò devianandum ad congruentem $\lambda\epsilon\gamma\omicron\sigma\iota\alpha\nu$. $\gamma\omicron\ \rho\eta\delta\omicron\nu$ mordicus tenet Lombardus lib. 4. sentent. hist. 10. Ubi intelligit cultros materialiter, & in proprio sensu petros, iisque vult significari, corruptionem per petram Christum abscindendam. Conjecit autem eum in hunc errorem ignorantia Hebrææ $\lambda\epsilon\gamma\omicron\sigma\iota\omega\varsigma$, quæ sic habet חרב חרבו צרר gladius. i. e. *cultros petrarum*. Ubi *cultri* sic appellantur non à materia, sed ab adjuncto sive per Meton. subjecti, si petra accipitur pro acie, quæ in petris non est infreqvens. Unde & צרר & צרר (à radice צרר *angustavit*) petra ab angustis & fastigiis nomen accepit, sive per metonymiam *cause* quæ cos vel petra, quibus cultri acuuntur, pro ipsis cultris acutis

tis

tis usurpantur. Hinc cultros petrarum alii vertunt *cultros acutos*: alii *cultros cotium* sive *silicum*, alii *cultros in petra acutos* (Försterus.) Quod hæc vera sit expositio, testis est Ps. LXXXVIII, 4. *Avertisti, (inquit Psalmista) adjutorium gladii ejus, & non es auxiliatus ei in bello.* Hebraicè צור הרב i. e. petram gladii ejus. Septuaginta interpretes vertunt *ἡν βοήθησεν τῆς πολεμίας αὐτοῦ.* Luth. *Die Krafft seines Schwerds.* Chald. interpretes חרפא חרפא i. e. *gladium ejus acutum.* Jam cuilibet notum est, nullum esse usum lapideorum gladiatorum in bello. Ergo *vox petra* figuratè accipienda est. Ad do & *Chaldei paraphrastæ* autoritatem, qui in hoc textu Josuæ circumcissionis organa appellat חרפין חרפין i. e. *novaculas acutas.*

v. 2. *Circumcide secundò*) Vocatur hæc *circumcisio secunda*, non respectu individuorum, eorundemq; hominum, sed respectu populi, qui semper idem mansit, licèt circumcisi morerentur omnes, & incircumcisi filii patribus succedent. Bis igitur circumciscus est populus, sed in diversis subjectis & individuus hominum: Atq; sic nullam rationem, nullumque prætextum hinc petere potuit *Cyprianus* ad probandam Baptismi iterationem. Quæritur autem non immeritò, ubi quãdove illa circumcisio facta fuerit? Quidam *Judei* putant, illam factam esse in *Ægypto*, ultima nocte ante exitum: sed falsum dicunt. 1. Quia propter dolores secuturos non potuissent iter facere die postero. 2. Si *Ægyptiis* eos ad emigrandum vi compellentibus tempus defuit fermentandi & pulmentum præparandi Exod. XII, 39. defuit illis mul-

tò magis occasio circumcidendi. *Alii* primam circumcisionem factam putant tempore Abrahamæ, cum se, filium & omnes vernaculos domus suæ circumcideret Gen. XVII, 23. Hæc sententia non est à ratione admodum aliena. Nec enim propter multitudinem circumcisorum vocari potest solennitas circumcisionis major, quàm illius, quæ tempore Abrahamæ, & hujus, quæ tempore Josuæ peracta fuit. Sed addo commodiorem & ex propinquo petitam responsionem. Quandoquidem in textu filii Israël jubentur circumcidi, non ideo, quod non solenniter, sed quod prorsus non circumcisi essent; apparet hinc, circumcidere secundo nihil aliud esse, quàm circumcisionem aliquandiu suspensam & interruptam repetere, & redintegrare.

v. 3. *In colle præputiorum*)

Luth. vertit: Der Hügel Araloth. Singulare est ארלוֹת i. e. præputium, radix ארל præputiatus fuit. Hinc arbores præputiatæ dicuntur immundæ, de quibus primi fructus decerpebantur, quibus vesci non licebat per triennium Levit. XIX, 23. Accipit autem hic collis nomen *ab adjuncto*, quia circumcisorum præputia ibi colligebantur & terra defodiebantur.

v. 5. *populus autem, qui natus est in deserto*) *Textus Hebræus* est magis perspicuus, quem sic vertimus: *Omnem populum natos in deserto in via cum egrederentur ex Ægypto non circumciderunt.* Nam 40. annis ambulaverunt filii Israel in deserto, donec consumeretur omnis gens virorum belli. *Causæ*
igi-

igitur intermissæ circumcisionis fuit periculum vitæ. Nam quia Israëlitas oportebat semper esse paratos ad peregrinationes faciendas, metuendum erat, ne tenni pueruli partim ex defectu sanguinis, cujus plura vasa ad membra genitalia concurrunt; partim exitinere & dolore vulneris defatigati extingverentur. Sed nunc post transitum Jordanis certum constabat ex divina revelatione de non continuando itinere, donec omnes sanati essent.

per longissimos viæ circuitus)

Nam cum essent in Kades Barnea, tanquam in confiniis terræ Canaan, eamque recta via ingressuri essent, anno secundo ab exitu, effecerunt intempestivis murmurationibus, ut divina vindicta eos repellente 38. annorum tempus residuum cogerentur in deserto vagabundi conterere, & expectare tamdiu, donec consumeretur omnis generatio mascula Deut. 11, 14. Num. IV, 16. & XXXIV, 4.

v. 9. *Vocatum est nomen loci illius*

Galgula) Supra v. 19. c. præcedente jam denumeratus est locus castrametationis Galgula, sed hoc factum est propter *גלגל*, non quod ante castrametationem primam locus eodem nomine præditus fuerit; sed quod postea acceperit, quemadmodum jam *גלגל* ratio affertur; ubi Gilgal ideo appellatur, quia Dominus dixit: *Hodie גלגל i. e. revolvi opprobrium Ægypti de vobis.* Radix Galal *גלל* i. e. volvit.

QVÆ.



QVÆSTIO.

An Circumcisionem tot annos propter periculum vitæ licuerit intermittere?

Resp. *Affirmativè*. Licuit per divinam dispensationem. Nam intermissio illa facta est non ex contemptu Sacramenti aut ordinationis divinæ, sed ex necessitate status præsentis ob crebras migrationes & incertitas mansiones in deserto. Deinde si non licuit, damnandi sunt omnes, qui ante Baptismi renovationem obierunt, quorum procul dubio magna fuit copia. Absit autem, ut in populum DEI tam rigidi censores existere velimus.

Pro parte negativa militare videntur hæc tria argumenta:

I. Quod ad salutem necessarium est, id non licebat intermittere propter periculum vitæ. At circumcisio est ad salutem necessaria. Ergo &c.

MAJOR manifesta est, quia salus animæ semper potior nobis esse debet salute corporis. MINOR probatur ex c. 17. Gen. v. 14. *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Resp. MINOR vera est secundum, quid. Est quidem circumcisio necessaria ad salutem, quæ commodè sine vitæ dispendio usurpari potest: Nam DEUS ob migrationes frequentiores dispensare voluit, procul dubio singulari indulgentiæ privilegio, cujus rei argumentum est primum. I. Quia circumcisio in universum fuit prætermis-

missa, id quod humanâ autoritate factum non est. Restitissent enim certè sanctissimi viri, si aliqua à verbo DEI facta esset declinatio. 2. Inscio & nolente DEO non potuit tamdiu circumcisio intermitteri propter facultatem divina oracula consulendi aptissimam. Nam Moyfi licebat divinam voluntatem agnoscere, vel ex colloquiis familiaribus de propitiatorio Num. VII, 89. vel ex columna nubis ad ostium tabernaculi descendente. Exod. XXXIII, 9. 3. Repetitio mandati de Circumcisione præsupponit divinam permissionem, cum dicit versus secundus: *Circumcide secundo filios Israël.* Fecit quoque, quod jusserat, & circumcidit &c. Inprimis quia DEUS Judæos ob hanc intermissionem nullibi legitur objurgasse, quod procul dubio fecisset, si tot annorum intermissionem improbasset.

II. Quod auferre poterat opprobrium Ægypti, id minimè intermittere licebat, etiam propter periculum vitæ. At circumcisio poterat. Ergo &c.

MAJOREM *probo.* Quia mori præstat, quàm opprobrium gentile sustinere.

Resp. per *distinctionem.* MAJOR loquitur de opprobrio interno, quod cum animæ exitio conjunctum est, vel de eo, quod homines DEO abominabiles reddit.

At in MINORE sumitur per *Metonymiam signi* opprobrium de externa Ægyptiacæ impuritatis nota, quæ erat præputium, quod Israëlita tot annorum spatio in corpore cum Ægyptiis habebant commune: nec tamen inde ipsorum animæ DEO invisæ & abominandæ reddebantur.

Y

III, Quod



III. Qvod ex negligentia hominum accidit, id minime licet intermittere propter periculum vitæ præsertim in actionibus divinis. Sed Circumcisionis intermissio accidit ex negligentia hominum. Ergo &c. **MINOR** probatur, quia textus dicit v.7. *Nec eos aliquis in via circumciderat.*

Resp. *Est fallacia non cause ut causa.* Hæc enim verba non ferunt per se causam intermissi Sacramenti, quoniam nemo circumcidere voluisset: sed indicant causam repetitæ & renovatæ Circumcisionis, quod Josua omnes ideo circumciderit, quia nemo eos in via circumciderat.

LOCUS COMMUNIS.

I. De effectu miraculorum duplici.

Miracula Dei operantur per se in piis animi magnitudinem, confirmant fidem, alunt spem, obfirmant doctrinam & promissionem: Contra in impiis operantur per accidens horrorem & pavorem. In causa est mens scelerum conscia, æstuans DEI odio & ad ejus ultionem contremiscens. Utenim à sanctorum commercio alieni Satanæ partes effuso Zelo sestantur: Ita ne miraculis divinis ad supplicia, quibus conscientia teste se destinatos intelligunt, rapiantur, vehementer metuunt. Exod. XII, 33. & XV, 15. Dan. V, 6. Nec adjuvat eos quicquam vel propria potentia vel confortium multitudo. DEUS enim virtute sua infinita non tantum hosce Reges Amorrhæos & Cananæos, sed etiam universos tyrannos veluti fumum uno flatu, quoties vult, dissipat. Quare qui piè vivunt & bo-

& bonæ militiæ student, persecutorã minas, quamlibet atroces, minimè exhorrescunt. Nam qui in nobis est, fortior eo est, qui in illis.

II. De statu & conditione veræ Ecclesiæ, siue piorum & impiorum.

Pii & impii contrariis fortunæ flatibus utuntur, ita ut, dum hi gaudent, illi doleant, dum illi dolent, hi vicissim gaudeant, juxta illud Psalmistæ Ps. XXXIX, 17. *Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi: Euge, Euge. Exultent & letentur super te omnes quærentes te & dicant semper: Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.* Hoc ipsum textu nostro innitur. Nam rigentibus ingenti metu regibus Amorrhæis & Cananæis, DEUS circumcisionis Sacramento Judæos contra omnem hostilis roboris metum armat, & lætitia magnanimitateq; perfundit. Quanta enim ad conciliandam animi magnitudinem circumcisioni vis infit, postea audiemus.

III. De Sacramentis.

I. De Sacramentorum autoritate. Quemadmodum DEUS Josuæ restituendæ circumcisionis ministerium demandat v. 2. ita nemini licet arbitrio proprio sacramenta instituere sine jussu DEI i. e. sine expresso verbo tales cultus a nobis exigente. Dicit enim Christus Matth. XXVIII, 20. *Docete eos servare omnia, quæcunq; mandavi vobis.* Et DEUS Deut. XII, 32. *Omne verbum, quod ego precipio vobis, illud custodietis ad faciendum.* Et Jos. I, 8. *Custodias & facias omnia, quæ*

Y 2

scri-



scripta sunt. Quare meræ sunt ἐθελοθρησκείαι, quæ Romana Ecclesia fictitiâ suâ autoritate extra scripturam Ecclesiæ Sacramenta obtrudit.

II. De Sacramentorum necessitate. Cùm haberi possunt Sacramenta, nec gravissima obstant impedimenta, minimè intermittenda sunt. Nam ab ejusmodi cultibus divinis modò legitimè usurpatis pendet salus animæ. Contrà qui ea temerè contemnit, is & nomen suum ex catalogo viventium delet & se ipsum æterno exitio mactat propter gravissimam cõminationem DEI Gen. 17, 14. *Cujus præputii caro & c.* Ita & Christus necessitatem Baptismi gravissimis verbis cõmendat, Joh. III, 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu.* Sed tamen interdù DEus propter necessitatis statum pro sua libera voluntate ita dispensat, ut, etiam extraordinario modo eos, qui non iemerè Sacramentum contemnunt, per solam fidem salvos faciat, sicuti masculos ante 40. annum emigrationis in deserto sine circumcissione mortuos & in N. T. latronem in cruce sine Baptismo occisum salvavit. Minimè tamen permittimus, ut hisce exemplis abusi ignavi parentum infantulorum Baptismum vel pompæ & apparatus majoris causa, sive ob alios prætextus leviores aliquandiu differant. Præterquam enim, quod tam religiosus ritus negligenter minimè tractandus est, hoc quoque incommodum inde, si morte præripere, tur Baptisma, nasci solet, ut mora & dilatio illa parentum conscientias suo tempore angat, eisq; tanquam charissimarum animularum interfectoris gravissimam dicam scribat, nec ad consolationem ullam vi-

am

am relinquat. Et si enim ejusmodi *negligentia parentum*, tanquam alienum peccatum, infanti procul dubio non erit fraudi; *nec enim filius portabit iniquitatem patris* Ezech. XVIII, 20. nec potest infans se ipsum baptizare aut pro contemptore sacri lavacri haberi: tamen parentes haud leviter DEUM offendunt illâ morâ, & præcipitant se ipsos, in periculossimarum tentationum voraginem, quâ ne absorbeantur, summa cautio est.

IV. DE CIRCUMCISIONE.

Ut hic locus melius intelligatur, percurremus breviter & figillatim tritæ methodi nostræ titulos informationi inservientes.

1. Ἐξέτασις τῆς ὀνόματι & *inquisitio nominis.*

Vox circumcisionis primò accipitur tantùm *de signo* externo resecti præputii, ut Rom. II, 25. *Circumcisio tua præputium factum est.* Item I. Cor. VII. & Gal. V, Tali circumcissione utebantur Apellæ increduli legis divinæ transgressores.

2. Accipitur *de utroq;* & *σωματικῶς* *de externa* carnis sectæ notâ, & *πνευματικῶς* *de interna* Spiritus renovatione. Quæ duo in Ecclesia Judaica adeò necessariò conjungebantur, ut sine altero externus ritus utenti non conferret salutem, quin potius augeret damnationis causam. Quare Paulus præter circumcisionem carnis requirit etiam obedientiam legis Rom. II, 25. & 23. Et DEUS apud Jeremiam c. IX, 25. minitatur circumcisis propter incircumcisa corda gravissimam visitationem seu pœnam.



3. Accipitur de sola Spiritus vel interioris hominis renovatione, quæ in V. Test. profelytis (i. e. accedentibus ad Judæos gentibus) cum Judæis non cohabitantibus ad salutem sufficiebat. Quinimò ista spirituali circumcissione indiget Ecclesia quovis tempore in hunc usq; diem, propter mandatum DEI Jerem. IV, 3. *Circumcidimini Domino & auferrete præputia cordium vestrorum* Deut. X, 16. & XXX, 6. Hanc Paulus vendicat etiam Christianis, vocans eam ἀχρεολογία i. e. absq; manu factam. Col. II, II. & consistere addit: ἐν τῇ ἀποκόμισιν τοῦ σώματος τῆς σαρκὸς τῶν ἀμαρτησίων ἡμῶν ἡμεῖς, i. e. in exspoliatione corporis peccatorum carnis.

Est & alia vocis hujus distinctio, cum circumcisio usurpatur 1.) proprie pro ipsa actione fœderali. 2.) Improperie per ἐπέκτασιν vel Enallagen nominis abstracti pro concreto. Exempli gratia Rom. XV, 8. dicitur *Christus minister circumcisionis i. e. Judæorum circumcisorum*. Et III, cap. v, 30. *Deus justificat circumcisionem ex fide, i. e. circumcisos*. Ita Phil, III, 3. *Nos sumus circumcisio*; & ad Gal. II, 7.

Circumcisio; & Sacramentum divina autoritate institutum, constans præputii amputatione & promissionis de Justitia fidei gratuita obfignatione.

Est igitur circumcisio ex numero τῶν ἔργων τῆς πίστεως.

Partes ejus sunt duæ; *Relatum* est ἀποκόμισις sive præputii ablatio. *Correlatum* est promissio salutis & vitæ & justitiæ æternæ: Inter hæc *Relatio* est ipsa designatio promissionis divinæ & nostræ vicissim ad fidem & novam obedientiam obfignationis: Cujus signum est præputii ablatio.

i. Prin-



1. *Principalis causa Circumcisionis est DEUS*; dicit enim Josuæ; *Fac tibi cultros lapideos & circumcide.* Idem mandatum proponit Abrahamo, e jusq; posteris Gen. XVII, 10. *Circumcidens carnem præputii vestri.*

2. *Impulsiva causa fuit DEI Φιλανθρωπία*, quâ per motus ipse non dubitavit mediante hoc Sacramento cum hominibus perditis & peccati inquinamentis tædè contaminatis æternum gratiæ fœdus pacisci, eosq; vitæ immortalis hæredes scribere.

3. *πενητήριον* est partim humanæ naturæ immundities & spurcitia, quam ni DEUS Sacramentali amputatione abstulisset, interiisset æternæ mortis reatu univèrsu m genus humanum: partim fuit cordis nostri trepidatio & infirmitas, cui per salutare hoc medium consulere DEO visum fuit.

4. *τὸ ὑποκείμενον* i. e. *subjectum* est vel remotum vel propinquum. *Remotum* est mas. Nam cum mas, ut mas, in generatione naturali sit *παιδικὸν καὶ ὁ θεὸς ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως*, hoc est, *agens & unde principium motus* i. e. *generationis*, si cum *Philosopho* sentire primo de *generatione animalium* cap. 2^o. Placuit DEO hoc characterè primam corruptæ naturæ originem & fontem in masculino semine ostendere. Non quod matèr à peccati originalis propagatione excludatur: sed quod ut mas naturæ ordine prius generat quàm fœmina, ita & contagium prius injiciat & corrumpat. Et si autem Deus fœmellas tanquam sexum infirmiore circumcissionis onere & dolore sublevare voluit: tamen confœderationis jus in eas quoque derivat, non propter parentum fidem (Nam *justus sua fide vivit* Habac. II. sed propter fidem propriam, quæ Saram constituit

ma-

matrem fidelium fœminarum, quemadmodum Abrahamum patrem fidelium virorum 1. Pet. III, 6. Nam pertinet ad eas quoque promissio divina: *Ero DEus tuus & DEus seminis tui*: Jam fœminæ non sunt minus semen Abrahæ ac masculi.

Propinquum προσκειμενον est præputium à DEO præcisioni ita destinatum, ut si aliud membrum fuisset, resectum, exspirasset Sacramentum. Detestanda est igitur Ægyptiorum & aliarum gentium κακοζηλία, quas *Ambrosius* scribit fœmellas suas circumcidisse. Cur autem DEUS membrum istud pudicis oculis obscenum putari tanta solennitate voluerit, ejus ratio ex finali causa quodammodo apparebit.

5. *Finalis causa* est multiplex. Nam circumcisio erat primò *signum* συμβολικόν, ut eo Sacramentò veluti Symbolo aut tessera populus DEI à gentili fece & grege separetur. Secundo erat *signum* ἀναμνηστικόν, quo admonerentur de originali ἀνομία, quæ una cum semine in posteritatem transfundi & propagari consuevit. 3. erat *signum* σφραγιστικόν, quo justitia fidei obsignaretur, confirmareturque; Rom. IV, II. Quartò erat *signum* ὑπαικόν significans spirituales circumcisionem, quæ est libidinis & cujuslibet concupiscentiæ carnalis mortificatio & refrenatio.

Effectus in adultis est augmentatio dolorum spiritualium & firma consolatio in adversis: In infantibus verò est operatio fidei & per fidem regeneratio. Est autem *effectus*, ut circumcisionis, ita & nunc Baptismi, non momentaneus, sed perpetuus. Nec tantùm à peccato originali liberat, sed etiam per omnem vitam adversus actualia delicta firmissima consolationum præfidia

fidia suppeditat propter spem veniæ resipiscentibus promissam ac fœderi divino annexam. Nam *fidelis est DEUS custodiens pactum & misericordiam diligentibus se.* Deut. VII, 9. In hoc testimonio conjungitur pactum cum misericordia. Misericordia verò in pœnitentibus recipiendis propriè occupatur. Sic Jerem. XXXI, 33. *Hoc erit pactum, quod faciam cum domo Israël, dicit Dominus. Dabo legem meam in visceribus eorum & in corde eorum scribam eam: Et ero eis in DEUM & ipsi erunt mihi in populum &c.* Sequitur v. 44. *Quia propitiabor iniquitati eorum & peccati eorum non memorabor amplius.* Quibus verbis DEUS expresse pœnitentibus fœderis sui copiam promittit.

Quod autem per *circumcisionem DEUS in infantibus operatus sit fidem salvificantem*, id probo argumento hoc nervosissimo:

Per quod infantes fiunt 1. participes DEI. 2. ineunt æternum cum DEO fœdus. 3. adscribuntur populo DEI. 4. fiunt justi 5. peculium DEI. 6. filii DEI & 7. adipiscuntur purificata corda: illud est salutare instrumentum conferens fidem & salutem æternam.

At per circumcisionem infantes fiunt tales.

E. Circumcisio est salutare instrumentum, conferens fidem & salutem æternam.

MAJOR probatur: Quia beneficia illa omnia superstructa sunt promissionibus Evangelii, quæ non nisi credentibus applicantur, & cum fide salvificante individuo nexu cohærent. Est enim Evangelium potentia DEI ad salutem omni credenti. Rom, I, 16.

MINOR probatur ex sequentibus dictis, Gen. XVII,

7. *Ero DEUS tuus & DEUS seminis tui* v. 10. *hoc est pactum*

Z

Sum



Etum meum &c. Exod. XIX, 5. *Si custodiveritis pactum meum, eritis mihi in peculium.* Rom. IV. *Signum circumcisionis est signaculum justitiae fidei.* Actor. XV, 9. dicit Petrus, *DEum circumcisorum corda non minus fide purificasse atq; baptizatorum.*

Adjacencia Circumcisionis. I. *Tempus* circumcisioni constitutum erat dies octavus, eam fortassis ob causam, ut interea temporis infantuli vires nativitate debilitatas quodammodo recuperarent, & ita vulneratio minus periculosa foret.

Deinde duratione definitus est terminus in adventu Messiae, qui cum universo Levitico ministerio etiam hanc ceremoniam umbratilem abrogavit, substituens in ejus locum sacrum Baptismi lavacrum. *Est enim Christus sacerdos non secundum ordinem Levi, sed Melchisedeci.* Ebr. VII.

Pugnantia Circumcisionis. Pugnat cum circumcisione in primis error *Manichaeorum*, qui blasphemum ore eam appellabant characterem obscenum, sapientiae divinae contrarium, argumentantes in hunc circiter modum: Nil refecare licet de corpore humano nisi superfluum; Præputium non est superfluum; quia aliàs DEus id non creasset, aut si creavit, necesse est, eum non esse omnifipientem. Ergo non licet refecare de humano corpore.

Resp. ad MAJOREM: Committitur *fallacia non causae.* Non ideo fit refectio in circumcisione, ac si in corpore humano pars aliqua sit superflua; sed quod eidem spiritualis quaedam superfluitas videlicet peccatum inhæreat, cujus designandi & abolendi causa, circumcisio divinitus instituta est.

SE-



SECUNDA PARS CAPITIS QVINTI.

Manseruntque filii Israël in Gilgal)

Hæc est *secunda pars capituli*, continens *τὰ πρῶτα* *διὰ* *τὸν* *πῶλον* *τοῦ* *πληθους* *τοῦ* *λαοῦ*, quorum tria sunt genera: Horum *primum* est celebratio primæ Passæh in agris Hierichunticis, sive in terra promissionis peracta. *Alterum* est prima comestio novarum frugum. *Tertium* est Mannæ defectio.

v. 10. *Manserunt*) *causa hujus moræ* fuit duplex: *Una* ex præcedentibus animadvertitur, & est vulneris ex circumcissione accepti dolor. Nam si die 10. mensis primi factus est transitus Jordanis, incidit circumcisio in diem 11. Ab hoc die 3. i. e. mensis ejusdem 14. vulnus gravissimè cœpit dolere, ut apparet ex Gen. XXXIV, 25. *Alter* *causa* est sacra Passæ celebratio, quæ in deserto intermissa fuit, unà cum aliis ceremonialibus, usq; dum Israëlità venissent ad quietem & possessionem terræ Canaan. Devt. XII, 8. Nec erat ulla occasio sacrum illud citius faciendi, propterea quod incircumcisis interdicta esset manducatio agni Paschalis. Exod. XII, 18.

Quarta decima dies mensis)

Hic ipse dies celebrandæ Passæh præcisè erat definitus, nec licebat inde discedere, nisi primò immundis. Secundò peregrè procul absentibus: Quos tamen die

Z 2

14. men-



14. mensis sequentis neglectum cultum compensare oportebat. Vide Num. IX, 10.

Ad vesperum) Ante vesperum omne fermentatum efferendum erat è domibus. Exod. XII, 19, & XXXIII, 18. Postea sole occidente tamen immolabatur agnus Deut. XVI, 6. Lev. XXXIII, 5.

v. 11. *Comederunt de frugibus terræ die altero*) Dies hic fuit decimus quintus mensis primi, quò exactè complentur anni 40. ab exitu. Nam si à 15. die mensis primi exitus numeraveris ad 40. annum & addideris 15. dies de primo mense anni 41. habebis 40. integros annos. Quo die post annos 1503. Christus tanquam verus DEI agnus se ipsum in ara crucis *pro peccatis nostris ultro immolavit & obtulit Deo in odorem suavitatis* Ephes. VI, 2.

Azymos panes) Tempore messis torrebant grana admoventes spicas igni, ex iisq; in modum faris contusis, & tritis azymum panem ac similam conficiebant Lev. II, 14. Erant autem distinctæ solennitates festum agni paschalis & azymorum. Finita enim illius celebratione festum azymorum sequebatur durans per septem dies. Exod. XVIII. Lev. XXIII, 6.

Polentam ejusdem anni) Hebraicè *to-stum* חֶמֶץ Germ. *Sangen*. Præterquam enim, quod ex novis frugibus panem conficerent, etiam spicas adhuc viridantes postulabant, quod minore constabat labore & inde grana comedebant.

v. 12. *Defecitq; Manna*) Hunc panem plu-

pluebat DEUS cœlitus usq; ad possessionem terræ Canaan, vide Exod. XVI, 4. Num. XI, 8. Deut. III, 16. Psal. LXXVII, 57.

Quod autem jam deficit Manna, causa est cornu copię alimentorum, quæ in posterum capi poterant, partim ex hornis frugibus terræ, partim ex Cananitarum spoliis.

QVÆSTIO I.

An incircumcisis licuerit edere de victima agni Paschalis?

Non licuit:

I. Nam ideo DEUS renovat Sacramentum circumcisionis, ut Israëlitæ ad festi solennitatem celebrandam legitimè instructi ac parati essent.

II. Extat manifesta prohibitio Exod. XII, 48 *Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit coloniam transire & facere Pascha Domini, circumcidetur prius omne masculinum ejus, & tunc ritè celebrabit, eritque sicut indigena terræ: si quis autem circumcissus non fuerit, non vescetur ex eo.* Contra: Comederunt Judæi ex mandato DEI. E. licuit.

Abis.

Resp. ad MAJOREM per distinctionem temporis. Peractum fuit festum Paschale in monte Sinai, non circa finem 40. annorum, ubi omnes circumcisi deficiebant: sed in principio anni secundi ab exitu, ubi omnes circumcisi erant, præter anniculos infantes, qui cibi solidi non erant capaces. E. circumcisi comederant tum temporis Pascha Domini: Postea verò ubi incircumcisi adoleverunt, intermissa fuit agni maectatio ad usq; Josuæ circumcisionem,

Z 3

QVÆ.



QVÆSTIO II.

An Israëlitæ in campe sribus Hiericho adhibuerint panes azymos ad manducationem Pasche?

Videtur quod non; Ratio, quia Passah fuit celebratum die 14. mensis primi; sed in sequenti die videlicet 15. cœperunt ex novis frugibus conficere panes azymos: Ergo ipso die Pefah ipsis caruerunt *Contra*: Si non adhibuerunt, non celebrarunt ritè Sacramentum: At ritè celebrarunt, Ergo adhibuerunt. *Probat* MAJOR: Quia DEUS iusserat à 14. die ad vesperum (tunc enim immolatio fiebat) comedere azyrna Exod. XVI, 18.

Ad 15.

Resp. I. ad argumentum sententiæ negativæ. In MINORE est fallacia à dicto secundum quid. Non potest simpliciter affirmari, Israëlitas altero demum die post agni mactationem cœpisse azyrna conficere, sed hoc dicitur saltem, azyrna fuisse confecta primulum ex novis frugibus. At ex anniculis frugibus potuerunt etiam ipso die Paschali azyrna habere præparata: Quod enim secum cibaria trans Jordanem portarint, audivimus supra cap. I. vers. II.

2. Resp. ad argumentum affirmativum. Cùm DEUS azymos panes poscit, opponit eos tantùm pani fermentato, non verò mannæ, quæ quoniam cum azyrnis analogiam quandam habet, fortè ad agni Paschalis esum fuit adhibita: Nam & ipsa fuit typus Christi & ima-

& imago puritatis cum doctrinae tum vitae. Verum responsio prior videtur verifimilior seu commodior.

3. Resp. Si panis infermentatus haberi non potuit, excusabit defectum necessitas; Nam necessitas neminem obligat: tamen notandum est, quod Essentialia Sacramentorum propter necessitatem non sint mutilanda. Tunc enim valet regula *Augustini*: *Crede & manducasti.*

LOCI THEOLOGICI.

I. De retributione verae pietatis & obedientiae erga DEUM.

Illustre est *exemplum filialis obsequii*, quod Israëlitæ in Galgalis circumcisionem, DEO ita volente & jubente, peragunt. Videbatur enim hæc res absque magno vitæ & sanitatis periculo minimè futura. Metuendum quippe erat, ne ex recentis vulneris doloribus agrotantes improvisa calamitatum irruptione veluti olim Sichimitæ omnes è medio tollerentur, quod si humanum consilium audire libitum fuisset, tutius unusquisque putasset, circumcisionem & agni celebrationem aliquot adhuc vel menses vel dies differre, præsertim cum etiam 40. annorum mora hætenus nemini fraudi fuerit: sed præponunt Israëlitæ mandatum, DEI carnali prudentiæ, non attendentes periculum, sed divinæ tutelæ confidentiùs se comitantes. Hanc obedientiam ac fiduciam remunerat DEUS *duplici commodo, & securitatis & alimonie.* Nam primò perterret DEUS omnes Amorrhæos & Cananæos, nequam vim intentare audeant castris Israëuitarum Sacra-



cramenta divina omni devotione administrantiū. 2. *Deinde* pascit eos novis frugibus terræ lacte ac melle, fluentis. Quapropter nos quoque propter apparentia quædam incommoda & pericula minimè à præceptis divinis deficiamus. Ut enim rosas decerpentes spinis digitos offendere solent: Ita molestiis vix carebit, qui ad DEI obsequium totum se componit.

Certè qui credit in Christum & puram Evangelii doctrinam confitetur, eum oportet esse persecutionis metui expositum. Qui non vult furari, vix abest à metu paupertatis: qui non maledicta maledictis compensat, videtur famam suam prostituere: Hæc omnia & similia pericula flocci faciamus, ac voluntati DEI obtemperemus: & liberabit nos ipse ex omnibus difficultatibus, quas amplissimis præmiis compensat, sicuti promittit *Esaiæ LXV, 23. Electi mei non laborabunt frustra, neque generabunt in conturbatione.*

II. LOCUS.

DE PRÆPARATIONE AD SACROS RITUS.

Agno paschali successit in N. T. *cæna Domini*, in qua Christus non umbram, sed ipsam *ἡν εἶναι* seu substantiam corporis & sanguinis sui exhibet. Jam ut nemini licebat olim comedere de agno paschali nisi circumciso. Qua de causa etiam hoc ipso in textu circumcisio victimæ agni præmittitur, ut edentes digni accedere possint: Ita cænæ sacramentum nemini conferatur, nisi qui non tantum sacro baptismo sit initiatus, sed etiam

am

am verâ ac salutari pœnitentia instructus afferat cor circumcisum & ab omni peccandi proposito quasi putatum. At qv̄i malè parati accedunt & indignè manducant panem hunc & bibunt calicem Domini, *rei sunt corporis & sanguinis Christi manducantes & bibentes sibi judicium* 1. Cor. 11, 27. Arceantur igitur à sacris Dominicæ mensæ epulis tam non baptisati quàm im-pœnitentes, *ne detur sanctum canibus, nec Margaritæ obijciantur porcis pedibus conculcandæ.* Matth. VII, 6.

III. LOCUS.

De miraculorum termino.

Ubi *causæ secundæ* suam nobis præstant operam, ad miracula non est aspirandum. Ut enim hic Mannæ pluvia cessat simul ac ex novis frugibus terræ cibus parari potest: Ita utendum est causis secundis, quam diu haberi possunt, nec sine illis extraordinarii auxilii petitio temeraria instituenda. Ut si agricola nollet amplius laboriosam terræ culturam exercere, sed rogaret DEum, ut juberet incultos agros frumenta ferre, nihil hoc aliud esset, quam DEum tentare. Qv̄i posthabita divina ordinatione peteret hoc sine DEI voluntate & permisso, svafore & consultore Satanâ, qui neglectis scalis ira jubebat Christum de pinnaculis templi desultare *Matth. IV.* Perinde faciunt PONTIFICI, dum extra legitimum conjugii usum miraculosæ castitatis privilegia affectant eventu sane turpissimo. Qv̄apropter cum præ manu sunt media ordinaria, non licet miraculis inhiare.

Aa

LO-



IV. LOCUS.

De loco divini cultus.

Quod Passah celebratur *in campestribus Hiericho*, ex eo constat, divinos cultus *non esse alligatos ad certa loca*: nec enim à loco pietas pendet, sed pietas sanctificat locum, quia *DEUS non habitat in templis* *καὶ ἐργασίας* *ἢ οὐκ ἐν ἀνθρώποις*, sive *manufactis*, Act. XVII, 24. Ita Christus Samaritanam mulierem à loco abducit Joh. IV. 21. *Mulier, crede mihi, quia venit hora, quoniam neque in monte, neque in Hierosolymis adorabitis patrem: sed veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate.* Hoc si ita est, minimè credendum est beluæ Antichristicæ, quæ Ecclesiam Catholicam *ad Romanam Cathedram* veluti clavo affingens, exclamat: *Ecce hic est Christus aut illuc* Matth. XXIV, 23. Interea non pugnat hoc cum libertate cultuum divinorum, qui meritò peraguntur in locis publicis ad eum finem destinatis, *quò omnia fiant εὐχαριστήσιως καὶ κατὰ τὸ ἴαξι* *decenter & secundum ordinem* I. Cor. XIV, 40.

V. LOCUS.

De agno Paschali.

Sacramentum agni Paschalis nihil aliud erat, nisi solennis mactatio agni immaculati ad conservandam transitus Angeli (*τὸ ὀλοθρευτὴ*) perditoris memoriam & ad præfigurandam passionem Christi. Hebraicè *פסח* à radice *פסח* i. e. *transit*. Rationem appellationis invenies Exod. XII. *Quia Dominus transferat domos Istaëliitarum, cum percuteret Ægyptiorum primo-*

mogenita. *Causa materialis* erat agnus egregiè electus sine macula & vitio. *Formalis* consistit in ritu divinitus præscripto. *Finalis causa secundaria* est recordatio historiæ, quod Dominus in trucidandis Ægyptiorum primogenitis domus Israëliticas agni mactati sanguine insignitas præterisset. *Primaria* est adumbratio Christi, qui est *purus & immaculatus agnus DEI*, tollens peccata mundi Joh. 1, 29. 1. Cor. V, 7. Cujus sanguine qui postes quasi cordis sui notaverant, tuti erat à percussoris ictibus. *Vespertinum tempus* præsignificat partim tempus mortis Christi, quæ incidit in horam novam & circiter tertiam vespertinam secundum nostra horologia: partim præsignificat ultima mundi secula. Nam post hujus victimæ consummationem, nihil restat expectandum præter lætissimæ resurrectionis diem.

VI. LOCUS.

De panibus azymis.

Sicut fermentum *metaphorice* significat falsam doctrinam aut sceleratam vitam, 1. Cor. V. Matth. XVI. Marci VIII, 20. Ita *panis azymus* significat sinceritatem ac veritatem morum ac doctrinæ, sine quibus vera victima Christus nemini cedit in salutem. Nam per fidem veram, quæ vera doctrina nititur, nobis applicatur, per sincera & *ἡνωμένα* opera à nobis glorificatur; Hæc de secunda parte hujus quinti capituli.

DE TERTIA PARTE CA- PITIS V.

v. 13. *Cum autem Josue esset in agro urbis &c.*) Hæc est tertia pars capituli quinti, continens τὸ πρῶτον fili DEI sive Θεοφάνη, i. e. apparitionem DEI, in habitu & forma viri militaris, promittentis gubernationem ac protectionem exercitus Domini. Apparitionis hujus circumstantiæ primariæ sunt 1. τὸ πρῶτον: facta est illa in agris Hierichunticis v. 13. 2. τὸ δεύτερον quomodo apparuit, stans & gladium strictum tenens. 3. τὸ τρίτον ἐν τῇ αἰτίᾳ, i. e. cur seu causa finalis. Apparet ex colloquio viri & Josuæ, in quò duplex movetur quæstio. Una, cujus exercitus ducem se profiteatur Archangelus: altera, quid curari & effici velit.

Notetur hic iterum primò quæsitum, quid effici velit. v. 14. Secundò mandatum exuendi calceamenta: tertio factum vel obedientia Josuæ v. 15.

Levavit oculos) Levare oculos non est eos sursum tollere, siquidem hæc apparitio non fuit facta in aëre vel nubibus: sed idem est ac oculos in objectum præfens videndi causa intendere, in primis cum nihil tale cogitanti objectum aliquod fortè occurrit.

vidit virum stantem) Apparet Angelus 1. in forma sexus virilis, qui nomine viri notatur. 2. Describitur à situ quia apparet stans. 3. ab habitu, nam conspicitur ut gladio accinctus. Hæc tria vitæ militari

tari sunt aptissima. Ut enim mulierum est domi colum ac lanam tractare, parere, liberos educare: ita præter alia officia, virorum est foris pugnando patriam defendere. Deinde non sedendo sed stando configitur. Tertio eò quoque spectat gladius strictus, cuius præcipuus usus est in delendis hostibus: Atque ita universa hujus viri forma ad prælia facienda est composita.

stantem contra se) לנגרו alii vertunt & regione, alii reddunt *coram*. Significatur autem hæc voce non tantum præsentia alicujus personæ, sed etiam *intima familiaritas, conversatio & auxilii collatio*. Ut Gen. II, 17. dicit de uxore Adami DEUS: *Non est bonum hominem esse solum; faciam ei adjutorium* לנגרו *i. e. tanquam coram eo* (die umb ihu sen) hoc est, ut Moses ipse explicat, quæ sit ejus לנגרו *i. e. auxilium*. Voluit itaque filius DEI hac apparitione testatum facere, se non tantum Josuæ & universo populo in omnibus periculis præsto futurum, sed etiam auxiliarem manum ac fidelissimi parastatæ operam contra hostium potentiam collaturum esse.

v. 14. *princeps exercitus Domini*)

Per *exercitum Domini* intelligimus primò Angelicas turmas, quarum ducem hæc DEUS mittit, ut Josua sciat, sibi adesse principem Angelorum cum magnis cælestium spirituum copiis. Nam & Angeli dicuntur *Domini exercitus* Ps. XXXII, 6. *Verbo Domini cæli firmati sunt & spiritu oris ejus omnis exercitus eorum*. Et Gen. XXXII, 2. Ubi in reditu ex Mesopotamia Jacob



videt Angelos DEI, dicit מַחֲנֵיכֶם *i. e. exercitus sive castra DEI sunt hæc.* Sic *Eliseus* eosdem conspicit in specie eorum & currum igneorum 4. Reg. VI. v. 17.

2. Per exercitum Domini intelligimus *Israëlitas*, quorum se unicum ἀρχόν & antesignanum DEUS hîc profitetur.

Cecidit Josue pronus in terram.)

Hebraicè: *cecidit ad faciem suam in terram.* Modò elevatis oculis conspexit virum, & intrepido animo compellavit: nihil enim angelicum aut divinum in ipso adhuc agnoscebat: nunc verò ubi audivit, eum esse divinum legatum, reverentiæ & humilitatis declarandæ studio abjicit se, facie in terram defixa indignum se reputans, qui talen Ducem mortalibus oculis intueatur.

Adorans) Hebraicè אֲדָרָה *i. e. & incurvavit se;* à radice אָדָר *i. e. curvatus est non pedibus tantum, sed etiam toto corpore.* Significat igitur propriè gestus honorificos, sive reverentiæ civilis indicia, quæ præstantioribus aut superioribus declaramus. Hoc sensu Abraham legitur adorasse Hethæos Gen. XXIII, 7. Joseph Jacobum Gen. XL VIII, 12. Jacob Esavum Gen. XXXIII, 3. Nathan Davidem 3. Reg. I, 2. Salomon matrem 3. Reg. II, 19. At cum de DEO sermo est, complectitur hæc externa ceremonia etiam simul *internum invocationis cultum*, qui soli DEO debetur: quomodo hîc usurpatur, ubi per Angelum sive herodem istum filium DEI intelligimus, ne Pontificiis prætextum aliquem invocandi sanctos relinqvamus.

v. 15.

v. 15. *Solve calceamentum tuum.*)

Hoc jussu vult DEUS præsentia suæ majestate majorem reverentiam in animo Josuæ excitare. Nam *calceamenta metaphorice significans terrenam cogitationem & conversationem cum mundanis negociis, quæ negligere & seponere decet eo tempore, quo in contubernio DEI versantes res sacras peragimus.* Id ipsum DEUS quoque; Mosen jubet, Exod. III, 5. Act. VII, 33. At hodie *καλοσηλία* est superstitiosa apud *Turcas & Saracenos*, quæ templis suis idolis consecrata, non nisi ad fores relictis calceis ingrediuntur.

Locus, in quo stas, sanctus est)

Dicitur hic *locus sanctus* non per inhærentem aliquam qualitatem, sed *καὶ χάριτι καὶ δόξῃ* (propter opinionem & imaginationem, quæ est in hominum animis) partim ob memoriam divinæ apparitionis in eo loco factæ; partim ob spem ibidem administrandi officii Christi, qui in ea terra olim humanam naturam esset assumpturus, Evangelium prædicaturus, miracula editurus, mortem passurus.

QVÆSTIO. I.

Utrum per hunc virum apparentem Angelus aliquis, vel ipse Filius DEI intelligendus sit?

Intelligunt quidam *Angelicum spiritum*. Ratio, quia Dan. IX, 21. Gabriel Angelus appellatur *שׂרָפָל* (Haisch) Et Gen. XIX, 1. *Duo Angeli veniunt Sodomam in forma virili.*

Con-



Contra nos rectius virum hunc credimus fuisse filium DEI. Ratio prima: Quia & ipse aliquoties in forma viri apparuit, ut Gen. XXXII, 34. Jud. XIII, 3. & 18. Daniel. VIII, 15. Ratio secunda: Quia ipse vir vocat se principem exercitus Domini. At talis princeps est Michaël, ipse filius DEI Ecclesiae suae protector summus. Dan. IX, 21. Apoc. XII, 17. Tertia ratio: Quia Iosua agnoscit eum Dominum suum & se ipsius servum. At Angeli non sunt Domini nostri, sed conservi: Apoc. XIX, 10. & XXII, 9. Nec nos sumus Angelorum servi, sed DEI. Ps. CXV, 16. & CLXII, 12. Ergo hic textus non est intelligendus de Angelica natura: sed de rege omnium Angelorum Christo.

Præbuit autem se filius DEI in forma viri videndum |procul dubio ob sequentes rationes 1. propter necessitatem & naturæ divinæ conditionem. Cum enim DEUS quoad essentiam suam sit simplicissimus atque ideò invisibilis: *Nam non videbit me homo & vivet, dicit DEUS* Exod. XXXIII, 20. inivit eam rationem, ut naturæ nostræ speciem inducens quasi per medium se terrenis nostris oculis conspicuum redderet. 2. propter prædictionem. Nam voluit hanc apparitionem esse veluti quoddam præludium & indicium futuræ incarnationis, ut præ significaret, se in plenitudine temporis naturam verè humanam & quidem sexus virilis assumpturum, & in ea se visibilem conspectui humano exhibiturum esse. Hoc minimè obscurum fuit regi *Davidi*, cum inquit: I. Par. XVII, 17. *fecisti me spectabilem super homines, Domine DEUS.* Secundum Hebraicam veritatem versio sic habet: *Vidisti me, וַיִּרְאֵנִי* secundum dispositionem sive formam hominis ex-
ccl.

cellentie Domini Jehovæ. 3. Propter consolationem. Voluit enim filius DEI tali apparitionis forma suam Φιλανθρωπίαν testificari: qui tanto nostri amore ardet, ut naturæ mortalis figuram assumere, atq; ita inter nos conversari à majestate sua minimè alienum putet, prout dicit Prov. VIII, 20. Deliciæ meæ cum filiis hominum.

QVÆSTIO II.

Ancorporea & vera fuerit forma viri, in qua filius DEI apparuit?

Sunt qui negant, spirituum visionem ullam factam fuisse in assumtis corporibus, statuentes potius formas illas fuisse saltem imaginarias, quas vel DEUS vel Angeli mira quâdam vi intuentium sensibus internis impressisset.

Contrariam sententiam propugnat textus:

1. *Argument.* Quæ sub imaginationem cadunt, ea non indigent elevatione oculorum sed mentis.

Atqui hæc visio indiget oculorum elevatione.
Ergo non cadit sub imaginationem.

MINOR. probatur, quia non dicitur VIR apparuisse, sed Josua legitur oculos suos elevasse & vidisse. Fuit igitur hæc visio facta oculis corporeis elevatis v. 13.

2. Quæ per imaginationem apparent, ea non sunt extra videntem, nec ab eo loco se juncta:

At vir iste extra videntem est & ab eo loco se-

Bb

jun-



unctus. Ergo non apparet per imaginationem
sive repræsentationem in sensibus internis fa-
ctam.

M. NOR probatur: Quia vir stetit coram Josua, &
Josue perrexit ad eum, quærens: Noster es an-
adversariorum?

Si quis verò sollicitus sit, ex qua materia elementari
Spiritus peregrina corpora assumunt, is ex doctissi-
morum sententia trita & vulgari non dubitet, ipsos
aërem ad quascunq; formas visibiles condensare &
componere posse, mira quæ pollent virtute. Sed quo-
modo hoc efficiant, nemo nostrum definire audet.
Quin imò contenti sumus judicio D. Augustini ma-
gnæ modestiæ pleno, cum inquit in *Enchiridio ad*
Laurentium cap. 59. *Cum ista* (de Angelorum corpori-
bus) *quærentur, & ea sicut potest, quibusq; conjectat, non*
inutiliter exercentur ingenia, si adhibeatur disceptio
moderata & absit error opinantium se scire, quod ne-
sciunt.

LOCUS COMMUNES Theologici.

I. De Persona & quidem aternitate filii DEI Domini nostri JESU CHRISTI.

Hujus Hypostasis non cæpit demum ab incarnationis
momento primo, sed ab initio extitit loquens cum patri-
bus, sicut Tertullianus scribit in libro contra Praxeam:
Filius semper ad colloquia humana descendit ab Adam
usque ad Patriarchas & Prophetas in visione, somno,

Vi-



Vide etiam *Eusebium hist. Ecclesiastica* lib. I. cap. 5. Quia de causa λόγος appellatur, quod fuerit & adhuc sit Ecclesiae suae πρῶτος διδάσκαλος καὶ ἡγετὴς τῆς ἐκκλησίας i. e. *primus Doctor & protector*. Hinc *Athanasius* orat. 5. *contra Arianos* ἐστὶν ἄρα ὁ λόγος ὁ ἴσος ἐκ ἄετι γεγονώς, ἢ ὀνομασθὸς ἦέν, ἀλλ' ὁ ἴσος αἰεί. i. e. *Est sane λόγος filius non nuper genitus aut nominatus filius, sed perpetuo filius*. Differentia tamen occurrit hæc: Ante incarnationem fuit Christus persona simplex, constans simplici & unica natura DEltatis: sed post incarnationem est persona composita, constans duab⁹ naturis divina & humana, quarum illa hanc in suae ὑπερπαραστάσεως ἑνωσάσθαι unitatem assumpsit. Hujus mysterii perceperunt sancti Patres veluti εἰκονισμὸν ex umbris ac figuris ejusmodi apparitionum, donec tandem in ipso corpore non peregrino, sed personæ suæ appropriato & æterni fœderis lege sibi unito apparuit. Nam ut in V. T. formam viri, quam ad tempus saltem assumpsit, mox ubi munus suum explevit, deposuit: Ita nunc, quam semel assumpsit naturam, nunquam deponit aut exuit.

II. De officio Christi regio.

Ecclesia militans in his terris unicè gaudet Hyperaspiste suo ac protectore Christo, qui non dormit, nec ociosus est spectator certaminum piorum; sed stat. tenens strictum gladium non contra nos sed pro nobis, ut hostium colla jugulet, eorumq; potentiam infringat. In hoc defensore tutius est confidere, quam in turmalibus copiis: quia minimè colludit cum hostibus, sed omnia sua arma ad exercitus sui defensionem



nem convertit, sicuti hic interrogatus, an sit adversariorum? respondet: *nequaquam: sed sum princeps exercitus Domini.* Quare cum hostes nil nisi sanguinem & cadem spirant, & insidias nos adoriuntur, exclaimandum cum Davide ex Pf. XLV. *Dominus exercituum nobiscum; insuperabile sive inexpugnabile praesidium est nobis DEUS Jacob* [כַּשְׂמִי i. e. praesidium, quod transcendendi nequit אֲחַיִּי i. e. protexit in alto) Et cum Paulo: *Si DEUS pro nobis, quis contra nos?* Item *Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo.* Pf. CXVII, 6. & XXVI, 2.

III. De divini auxilii opportunitate.

Novit Dominus *opportunitatem* tempus, quo laboranti Ecclesiae suae opem ferat. Dicit enim hic ad Josuam v. 14. *Nunc venio, nunc, inquam, ubi incole terrae omnes vires & facultates conferunt, ut adventantem & vel retro in fugam vertant, vel cum universo populo tristi exitio mactent:* Ita DEUS adventum suum plerumque ad novaculae usque aciem differre solet, quo necessitate auxilium ejus reddatur evidentius, magis conspicuum & afflictis tanto gratius, quo diutius fuerat desideratum. Ut enim fames optimum cibi condimentum est; ita dilatio commendat maximè divinum auxilium. Experti hoc sunt in primis Israëlitae, ad quos Mosen DEUS eò demum tempore mittebat, quo lapides duplicabantur & nulla mitigandae salutis spes amplius affulgebat. Discamus igitur tales DEI mores & moras patienti animo ferre nec desperare, licet diu abfuerit Dominus: tandem enim dicit: *Nunc venio.* Ad exercendam hanc patientiae artem adhortatur
nos

nos Habac. II, 3. *Si moram fecerit Dominus, expecta illum: quia veniens veniet & non tardabit.*

IV. De vera obedientia studio.

Quemadmodum *Paulus*, postquam ipsi divina vocatio ad ministerium Apostolicum oblata fuisset, se carnem & sanguinem non consuluisse, sed vocanti DEO illico obtemperasse Gal. I, 16. Atque hæc est mandatum DEI calceamenta exuere. Contra calceos suos tenaciter gestant, qui voluntatem DEI suis affectibus posteriorem habent, ut cum *Jonas* satius esse putat, exspaciari in navibus, quam Ninivitis interitum prænunciare. Sic in communionem mensæ Dominicæ calceamenta exuere nihil aliud est, quam salutem plurimam dicere humanis speculationibus de impossibilitate præsentis corporis & sanguinis Christi & nuncium remittere pristinae vitæ impuriori: Sine hac præparatione nemo potest cum fructu ad sacrum Cœnæ locum appropinquare.

V. De locorum sanctorum reverentia.

Loca ad res sacras destinata reverenter tractanda sunt, ne vel profanis negociis vel omnino nefandis operibus dehonestentur: Quemadmodum *JUDÆI* templum Hierosolymitanum exercendis mercimoniis converterunt in speluncam latronum Matth. XXI. Jer. VII. Sanctificantur autem loca vero cultu DEI, oratione, administratione verbi & Sacramentorum. Contra *superstitiosa* admodum est locorum sanctificatio, quæ apud *PONTIFICIOS* fit per lustralem aquam, salem,



oleum, cereos accensos, cruces depictas, suffitum & alias ceremonias, quibus nulla in se sanctificandi efficacitas.

LOCUS POLITICUS.

In Josua proponitur nobis exemplum *boni Ducis militaris*, cujus virtutes sunt 1. *fortitudo*, ut intrepidus accedat eos, de quorum fide dubitat, an à nostra vel hostium parte faciant. 2. *Providentia* sive alacritas, ut fidelis sit inspectu sui exercitus, ne proditores vel publici hostes se nomine amicorum venditent. 3. *Pietas*, ut Christum habeat secum exercitus sui principem & ejus mandatis morem gerat. Hoc enim duce bella secunda geruntur ac prospere succedunt. Hæc de capite quinto.

CAPUT SEXTUM.

Argumentum & Divisio.

Hætenus descripsit Josua adventum populi ad terram Canaan, & quæ in ipso ingressu peragi voluit DEUS. Ubi ipse post circumcisionis & agni Paschalis administrationem in forma bellici Ducis apparuit, ut Josuam ad instantem expugnationem animosum redderet. Nunc verò in *sexto capite* enarratur *prima expeditio, quæ Hiericho non corpora vi sed tubarum sono eversa & deleta est.*

Di-

